



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

De Venerabili Eucharistiæ Sacramento Decisiones Theologico-Legales

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisionis LIX. Ad Decembris primum Casum. Argumentum. Proponitur decidendum, quot peccata committat quidam ebrietatis vitio deditus, qui die Paschatis post Sacram Communionem susceptam, vadit ad ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94643](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94643)

Primò : P. Martinus de Roa Societatis JESU, in lib. *Status Animarum Purgatorii* typis excusso Venetiis ann 1672. c. 11. ita scribit : Per consolatione delle persone, le quali nè sono Sacerdoti, nè possono far dire Messè per li Defonti so sapere, che Communicandosi, possono offerire per essi quell' opera, la quale sarà loro di tanto maggiore soddisfazione, quanto dal canto nostro haveremo posto più affetto, e travaglio in farla; non solo in purificare la coscienza per mezzo del Sacramento della Penitenza, ma anco nell' andare alla Chiesa, e nel fare Orazione, nell' aspettare il Sacerdote, & il tempo per ricevere la Sacra Eucharistia; e nel dare gratie con eguale quiete, e devotione: perche tutte queste opere sono di merito, e di soddisfazione; e si può questa offerire per li Defonti.

Blossio nel cap 6. *Monit. Spirit.* riferisce d'un Defonto, che apparve circondato di fuoco ad un amico suo, e gli disse, che ardeva in quelle fiamme, perche vivendo era stato trascurato nel ricevere la Sacra Communionem; che la ricevesse per lui con la maggiore devotione, che potesse; perche con questo sarebbe uscito da quelle fiamme. L'amico la fece, preparandosi con la disposizione, che gli era stata detta; & il Defonto ritornò a lui il dì seguente; e gradì all'amico suo la liberatione, che godea per quella buona opera.

Secundò : Illustriss. ac Reverendiss. Alexander Spersl. Episcopus Eugubien. in sua *Parenti Teleturgica* cap 66. propò finem ita scribit : Ma che sarà, chi non è Sacerdote, nè ha commodità di dare lo stipendio ad altri per suffragare quelle Anime tormentate? Oltre al potere con digiuni, & altre opere penali, e con le Indulgenze, per modo di suffragio, ajutarle; efficacissimo mezzo è anche il Comunicarsi per quelle, L'Hostia Sacratissima è sì ubertosa di grazie, che anche in questa guisa le dispensa à fedeli Defonti.

Tertio : P. Carolus Gregorius Robignolus Societatis JESU, in *Opusculo la Pietà ossequiosa*. In dissertatione de commemoratione Defunctorum, ait : Il B. Henrico Sufone offeriva per li medesimi Defonti orationi, digiuni, e cilici. Ma un' Anima messaggiere del Purgatorio, comparlagli con dolci querele disse, che più tosto richie de va il Sangue del Redentore, per mitigare meglio le sue fiamme; cioè Sacrificii, e Communioni.

Et de suffragio excellenti, quod reportant Animæ Purgatorii in satisfactionem pœnarum ex Eucharistica Communionem, videtur loquutus S. Augustinus lib. 9. *Confess.* c. 12. & 13. ubi Sancta Monica Matris suæ defunctæ memoriam agens, subdit : Offeritur Sacrificium pretii nostri pro Monica matre, quæ desideraverat sui memoriam post mortem ad Altare (cui nullius diei præmissione servierat) fieri; unde sciebat dispensari Victimam Sanctam, qua deletum est chirographum, quod erat contrarium nobis. Per illa verba : Unde sciebat dispensari Victimam Sanctam, utique significatur Communionem Eucharisticam, quæ ex Altari dispensabatur fidelibus, à quibus manducabatur, & offerebatur in satisfactionem pro Defunctis; quod verus illo tempore notum erat Sanctæ Monica; & apud ipsam, & alios pie communicantes erat in usu quotidie.

DECISIONIS LIX.

Ad Decembris primum Casum.

ARGUMENTUM.

Proponitur decidendum, quot peccata committat quidam ebrietatis vitio deditus,

qui die Paschatis post Sacram Communionem susceptam, vadit ad Tabernam, in qua inebriatus, defertur domum à bajulis, ubi Uxor, & filii pauperes prandium præstolantur. Explicatur, quid sit Ebrietas? Quale peccatum? Quæ pœnæ à Jure statutæ contra Ebriosos? Et resolvitur ab Ebrio prædicto sex mortalia peccata commissæ fuisse.

SUMMARIUM.

- 1 Sobrius unde dictus? & unde Ebrius?
- 2 Crapula quasi cruda Epula.
- 3 Ebrius, & Ebriosus in quo differant?
- 4 Temulentia unde dicta?
- 5 Ebrietas quid sit?
- 6 Ebrietas an sit peccatum mortale?
- 7 μεθυσας, idem, quod μεθυσω.
- 8 Ebrietas ex inadvertentia non est mortale.
- 9 Medici non possunt suadere alicui ebrietatem.
- 10 Patriarchæ antiqui quomodo excusentur ab ebrietate.
- 11 Ebrietas quibus cautionibus à bibente evitetur?
- 12 Aqua mixta vino tria bona facit.
- 13 Pena contra ebriosos.
- 14 Divortium mulier facere potest, si vir sit ebrius.
- 15 Ebriosus Sacerdos potest suspendi à divinis.
- 16 Ebrius factus die Paschatis, post receptam Sacram Communionem, sex peccata mortalia committit.
- 17 Peccans in die festo, an duo peccata committat?
- 18 Maritus tenetur alere Uxorem, ac filios sub pena peccati mortalis.

PRIMUS CASUS.

Sulpicius, ebrietatis vitio deditus, sua peccata confessus, & pro adimplendo Ecclesie præcepto ipsa die Paschalis solemniter Sacra Eucharistia receptus, ab amico ebrioso ad tabernam vinariam invitatus, ibi ab hasty vini non cessavit, donec ebrius factus à duobus bajulis sustentatus sub brachiis, ad propriam domum, ubi uxor famelica, una cum filiis, eum aliquid pro prandio ferentem expectabat, ductus est. *Quæritur, quot peccata commiserit.*

PRO casus resolutione tria fuerunt præmissa.

Primum : Quod sicut sobrius dicitur, quasi briam, id est mensuram servans. S. Thom. 2. 2. *quest.* 149. art. 1. ita ebrius denominatur quasi extra briam, id est excedens mensuram. Lessius lib 4. de *Justit. & Jure* cap. 3. num. 13. Quandoquidem, quænam admodum crapula appellatur quasi cruda epula; sic ebrietas deducitur ab E, quod est sine: & à Bria, quod est mensura. Glossa in cap. A Crapula 14. de *Vita, & honest. Clericor.* quia tunc homines ebrii fiunt, cum sine mensura bibunt. Hæc est autem differentia inter ebrium, & ebriosum, quod iste ex consuetudine facundis exhaustiendis calicibus vacet, ille autem quasi inopinatò bibens amittat usum rationis. Zacchias in *Quest. Medicoleg. consil.* 25. n. 9. adeo ut ebrius actum, ebriosus habitum indicet, juxta dictum S. Ambrosii lib. de *Parnit.* apud Fonten. lib. 1. cap. 2. Ebriosus est, qui dum absorbet vinum, mala ebrietatis consuetudine absorbetur à vino. Nec

Nec differt ebrietas à temulentia; hæc enim pariter usui rationis privat, & dicitur à temeto, idest vino mentem tentante, seu labefactante, de quo ait Plinius lib. 14. cap. 13. Cato propinquos ideo seminis osculum dare iussit, ut scirent, an temetum olerent, hoc tunc vino nomen erat, unde temulentia appellata. Porro Ebrietas est excessus in potu inebriante, voluptatis causa, donec rationis usus adimatur. Laym. lib. 3. sect. 4. num. 4. ex qua sequitur, Theologicè loquendo non esse ebrium, qui per potum se ratione privavit ob aliam causam, quàm ob voluptatem: nisi materialiter tantum, non autem formaliter. Azor. p. 1. lib. 7. cap. 22. g. 6. & cum gula sit inordinatio in esu, & potu, sequitur ebrietatem esse speciem gula. S. Thom. 2. 2. quest. 150. art. 1. & S. Antonin. part. 2. tit. 6. cap. 1. Baldell. in Theol. Moral. lib. 5. disp. 30.

Secundum Præmissum. Non est autem extra controversiam inter Philosophos, Canonistas, ac Theologos, an ebrietas sit peccatum mortale? Nam plures Philosophi Professores negant, asserentes nil ei sceleris inesse, ut videre est apud Plinium lib. 14. cap. 22. & apud Theophilum Raynaud. De Virutib. lib. 6. num. 102. Et ex canonistis Abbas in cit. cap. A crapula. De Vit. & honest. Cler. nec non Glossa in cap. Inebriaverunt 15. quest. 1. ac Tholosan. Syntagma juris part. 3. lib. 39. cap. 8. opinantur, ebrietatem alluefactam esse crimen grave; ut si assidue non sit, esse veniale, & veniuntur auctoritate S. Augustini relati in cap. Unum dist. 25. quem textum dicunt, esse mentis enodum. Et ex Theologis videtur excusare ebrietatem à culpa mortali Cajetan. in cit. q. 150. art. 2. ubi excipit plures casus, inter quos ad provocandum vomitum Lessius d. lib. 4. cap. 3. dub. 3. & Layman. lib. 3. sect. 4. num. 4. Ceterum omnem ebrietatem, qua homo privatur usu rationis, esse lethalis criminis, est omnino tenendum, dicente Apostolo. 1. Cor. 6. Neque aurum, neque ebriosi, neque maledici regnum Dei possidebunt. Neque ex ly ebrium est intelligenda ebrietas habitualis, & consuetudinaria tantum; nam etiam unica ebrietas, si sit voluntaria, est mortalis; Apostolus enim Paulus scripsit Græcè ad Corinthios, & vox græca μέθυσαι, quæ ipse fuit usus, idem significat, quod μέθυον, idest ebrium, ut bene observat Cornelius à Lapide in Comment. ejusd. loci. Rationes sunt plurimæ, ob quas etiam qui semel se formaliter inebriat, sit reus gehennæ. Videlicet, quia ebrietas privat hominem non solum usu, sed etiam potentia usus rationis; reddit eum inhabilem ad exequenda divina præcepta affirmativa, & exponit periculo peccandi, saltem materialiter contra negativa: Facit hominem similem bestiis, & iisdem deteriorem. Causat multos morbos in corpore, videlicet febrem, vertiginem, tremorem, apoplexiam, arthritidem, & mille alios effectus, ut ait Zacchias in Quest. Medicol. lib. 2. tit. 3. q. 3. num. 21. inter quos ignem luxuriae, jurgia, lites, vulnè a, aliæque gravissima mala parit, quæ enumerantur à Fornero lib. 1. de Temulentia malos à Lessio lib. 4. de Just. & Jur. cap. 3. num. 9. & à Baldello lib. 3. disp. 30. Neque obstat textus in cap. Unum dist. 15. quia est, quod sit ex operibus S. Augustini; (de quo tamen multi dubitant) responderetur; per ebrietatem ibi assiduam, vel alluefactam, intelligi plenè voluntariam, & cum animadversione, quæ talis semper est, si quis pluries se inebriaverit; & illam tantum excusabilem, seu venialem dici, quæ contingit ex inadvertentia, vel nescientia suæ debilitatis, aut vini generositatis. Ita S. Thom. 2. 2. qu. 150. art. 2. ad primum. Lessius d. Doct. Clericali Tom. 1. Lib. II.

lib. 4. de Just. & Jur. cap. 3. n. 16. Hinc est, quod si- que Medici licet possunt horrari aliquem ad ebrietatem pro remedio alicujus morbi, quia Medicus non potest quicquam suadere, quod sit contra animæ salutem; ut optimis rationibus, & pluribus Medicinæ auctoribus citatis probat Zacchias in d. lib. Quest. Medicol. lib. 6. tit. 1. qu. 5. n. 61. nec ad vomitum provocandum, quia alia plura sunt remedia, quæ possunt ad hunc effectum adhiberi, absque læsione usus rationis. Neque in contrarium movere potest exemplum Patriarcharum, quos Scriptura Sacra notat, aliquando fuisse inebriatos, ut de Noè, atque Loth. Genes. cap. 6. & cap. 19. & de Fratribus Joseph Genes. cap. 43. Nam in primis respondetur, verbum inebriari in divinis voluminibus sæpe sumi pro sola satietate, ut tradit expressè S. Joann. Chrysostom. Homil. 28. in Gen. hinc illæ locutiones: Calix meus inebrians, quàm præclarus est: Psal. 12. Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ. Psal. 35. Visitasti terram, & inebriasti eam. Psal. 64. & Comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi. Cant. 5. idest bibite ad satietatem. Noè fuit inculpabiliter inebriatus, nam vini vim ignorabat, ut tenent Peter. Cornelius à Lapide, Salian. Torniel. & apud eos SS. Patres in Genes. cap. 6. Loth quoque excusatur, quia bibisset ad leniendum dolorem, & inadvertenter factus esset ebrius. Sed est peccaverint, non ideo imitandi sunt; siquidem ait S. Ambros. lib. 1. de Abraham: Non utique vitia Patriarcharum Scriptura exposuit, quos videtis vino legimus, ut imitaveris, sed ut tu disceres, quid caveres. Ille nudus jacuit, iste filiarum erroris patuit; & Noè fustus deceptus est, quia vini vis adhuc ignorabatur, sed in illo instructus es, ne tu ignorares. Et paulo post. Instruit nos Patriarchæ non solum docentes, sed etiam errantes. Ideo iteratum est exemplum ebrietatis, ut confirmaretur à legiferum cautionis. Cautio autem hæc astruitur tum à Medicis, tum à Philosophis per multa remedia, & antidota; quorum præcipuum est, parcè bibere; & vinum dilutum bibere; aqua enim debilitat vires meri, & facit, ne pars vinorum spirituum caput petat, immò cum ipsa habeat vim diureticam, citius transmittit illos ad vesicam; & præservat mentem à perturbatione, unde Tibull. lib. 2. Eleg. 1. Temperat annosum Martia Nympha merum. Præterquam quod si aqua ultra moderatam vinum superet, tollit eidem asperitatem, multiplicat ad commodum familiæ, & impedit morbos mentis, & corporis, juxta illud Martia Fabri Concione Vin. Dom. 16. post Pentecostam sine Vinum lymphatum crescit dulcescit, laderenscit.

Tertium præmissum. Multa verò sunt poenæ de jure inflictæ contra ebrietatem, & cum perfectam, cum imperfectam, cujus utriusque signa narrat Barthol. de Offic. & Pot. Episcopi tit. 2. Gloss. 1. 1. num. 6. & Zacchias in Quest. Medicol. lib. 2. tit. 1. num. 14. & seqq. Qui enim ebrius est contrahere non potest. Ripa in l. l. cui bonis n. 21. ff. de Verb. obligat. Neque valide sponsalia, aut Matrimonium inire. Sanchez de Matrim. lib. 1. disp. 82. n. 20. Neque testamentum facere. Bald. in cap. 24. Crapula de Vir. & honest. Clericor. Neque esse testis, quamvis non formaliter ebrius, sed ebriosus quis esset, quia vinum perdere memoriam facit. Zacchias d. quest. 1. n. 42. Ebriosus curator dari potest, & uxor ejus divortium facendi iustam causam habet. Genuesis in Pract. cap. 21. num. 2. Zacchias, d. quest. 11. num. 43. & 44. Riccius de off. 165. p. 22. (quod tamen in Germanis non admittit Gobat in Theol. Experim. tract. 10. num. 731. quia, ait, alioqui

alioqui non esset finis divortiorum) proit maritus, si mulier sit ebriosa. Sanchez de Matrimon. lib. 10. disp. 18. n. 18. A publicis officiis ebrii, & ebriosi sunt removendi. Ripa in l. Generaliter n. 73. C. de revoc. donat. Et Clerici si sint ebriosi, possunt declarari irregulares. Nic. Plovius de Irregul. n. 2. Et delicta si committant, non sunt immunes à punitione; immo severius plectuntur. Caball. Refol. Criminal. Centur. 3. cas. 297. num. 8. & 9. Sacerdos verò ebriosus potest suspendi ab officio, & beneficio. Diaz. in Praxi cap. 80. Menochius de Arbitr. cas. 404. Bellosus de Penit. Cleric. §. 15. n. 2. Immo si ebrius non præmissa digestionem celebraverit, est beneficio privandus. cap. Si confiterit. ubi Abb. num. 1. de Acusat. Quod si ebrii animam sint exhalaturi, & exhalant, privari debent tum Sacro Viatico, tum Ecclesiastica sepultura; nisi ebrietas fuisset involuntaria. Gobat in d. Experim. Theol. tract. 4. a num. 195. usque 199.

His prænotatis pro resolutione casus, ad ejus responsum dictum fuit, Sulpitium, ut supra, ebrium effectum dicto die sacro Paschatis Resurrectionis, statim post Sacram Communionem, commisisse sex mortalia peccata. Primum quidem ebrietatis, quæ cum non posset excusari ab inadvertentia, quia erat deditus huic vitio, & ab amico ebrioso invitatus, poterat, immo debebat, prævidere periculum; fuit culpa mortalis ex doctrina S. Thomæ 2. 2. q. 150. art. 2. & aliis deductis in primo præmissis. Secundum peccatum fuit Sacrilegii, siquidem sacrilegium est rei sacræ violatio, & irreverentia. Idem Angel. Doctor 2. 2. q. 99. art. 1. & omni irreverentia maximè pendeat ab estimatione hominum. S. Thom. 2. 2. q. 130. art. 1. & 2. & omnes homines, etsi bibaces, æstiment magnam irreverentiam committi in Sacramentum; si nimis potationibus vacent, quod illud sumpserint. Gobat in Quinario tract. 5. cap. 47. num. 1. prout verè eam committunt etiam ob periculum vomitus, sequitur, Sulpitium factum esse reum sacrilegii. Tertium fuit violatio præcepti terti Decalogi de sanctificando festo, licet enim communior sit opinio, quod qui peccat in die festo, non committat duo peccata, Bonacina de Tertio Præcepto Decalogi disp. 6. 17 punct. 2. num. 3. nihilominus cum sit dies non solum festus, sed summæ festivitatis Resurrectionis Dominicæ; in quo omnes fideles majori pietate cum volunt, Ecclesias frequentant, & verbum Dei audiunt; excusari non potest Sulpitius à profanatione per enormem ebrietatem; tanquam actionem læviam virtutis Religionis, juxta doctrinam S. Thom. 2. 2. q. 122. art. 4. Emin. Card. de Lugo tract. de Penit. disp. 16. num. 515. ubi plurimos Theologos cumulat; & n. 517. ubi dat exemplum diei Veneris sancti, si in eo committatur grave peccatum. Novissimè Eminentiiss. Card. de Lauræa in 4. sent. tom. 2. disp. 21. eod. tract. de Peniten. num. 261. & 262. ubi 18 SS. Patrum auctoritates allegat. Quartum peccatum fuit subtractio prandii facta uxori, & filio, contra quartum Decalogi præceptum; cujus vigore maritus tenetur alere uxorem, & filios sub obligatione peccati mortalis. Bonac. in Quart. Decal. præcept. disp. 6. punct. 7. num. 3. Idè Surdus de alimentis tit. 1. quæst. 32. quod enim consumpsit portando in taberna, fuisse satis ad prandendum domi cum conjuge, & filiis, à quibus famelicis expectabatur. Quintum fuit peccatum scandali generalis, quo ex suo pessimo exemplo potuit alios movere ad frequentandam tabernam, etiam die sacro Paschatis, post sus-

ceptam Sacram Communionem; quod quidem est peccatum mortale, etsi ipse Sulpitius non intendat præbere aliis occasionem spiritualis ruinæ. Bonacina de Peccatis disp. 2. quæst. 4. punct. 2. §. Unic. n. 6. Volpi Moral. resolut. 174. num. 7. præterquam quod movet conjugem ipsam ad impatientiam, & provocat ad convitia, maledictiones, & imprecationes. Sextum tandem peccatum est ob conscientiam erroneam; practice enim loquendo bibones, & sacris Bacchi addicti apprehendunt esse peccatum mortale immorari in taberna, quo die cælestem panem sumpserunt; & excedere in bibendo usque ad privationem rationis; ut testatur Gobat in Quinario tract. 5. cap. 46. num. 2. & cap. 47. num. 1. Idcirco cum Sulpitius se inebriaverit, reclamante conscientia, ex hoc etiam motivo sit reus culpæ mortalis ex doctrina Sanchezii in Decalog. lib. 1. cap. 21. & Tamburin. in Opusculo de Exped. Confess. lib. 2. cap. 1. §. 15. Et ex ejusdem Gobati d. tract. 5. cap. 46. & cap. 47.

Gratiosum exemplum narrat P. Cafalichius in suis Argutijs Moralib. Cent. 1. Decad. 3. Arg. 8. de quodam ebrio, quem vino, somnoque sepultum, ejus Uxor alligavit in Syndone tanquam mortuum; & digesto vino, ab ea sibi dictum fuit, vovisse, si resurgeret, quod à vino penitus abstineret; idque ille credens, votum ratificavit; & sic se emendavit.

DECISIONIS LX.

Ad Decembris Casum secundum.

ARGUMENTUM.

Examinatur, quæ licentia sit necessaria, pro exponenda Sacra EUCHARISTIA, causa publicæ Orationis 40. horarum? Item pro eadem extra Ecclesiam processionally deferenda? Uterius in quibus Ecclesiis, & qua veneratione sit aservanda? Agitur de Solemnitate festivitatis Corporis CHRISTI, & de Processionibus in ejus Octava concessis. Referuntur Indulgentiæ à Summis Pontificibus concessæ pro eadem Solemnitate, necnon, Confratribus SS. Sacramenti. Tandem discutitur grave dubium, an Confratres, qui non sunt in gratia, sed præstant obsequia præscripta in honorem Venerabilis Sacramenti, lucrentur aliquas ex prædictis Indulgentiis?

SUMMARIUM.

- 1 Eucharistia aservata in templis etiam in primitiva Ecclesia.
- 2 Eucharistia servatur in Ecclesiis Parochialibus tum ad adorationem; tum ad providam delationem ad infirmos.
- 3 Regulares quo jure servent Eucharistiam in eorum Ecclesiis?
- 4 Eucharistia aservari non potest in Ecclesiis non Parochialibus, & non Regularibus.
- 5 Eucharistia servari potest in Ecclesia non Parochiali de licentia Ordinarii ex justa causa.
- 6 Tabernaculum pro Eucharistia olim cujus materia, ac forma esset?

7 Tabernaculum